Festschrift zu der am 2. Nov. 1882 stattfindenden Feier des Neuen Gymn. zu Salzwedel

De Claudio Rutilio Namatiano Stoico

scripsit

Franciscus Müller.

Lass' von der ewigen Stadt, die im Sinken den Göttern, den alten
Bürgen vergangener Macht, kühne Vertheidiger sei,
Längs dem etruskischen Strand dich geleiten den Führer, den treuen,
Dem die Geschicke des Reichs stehn vor dem inneren Blick.

Itasius Lemniacus.

Meritam habeamus Rutilio gratiam, quod tanta cum caritate antiquitatis ita descripsit Romam Italiamque ut et utilis eius sit lectio atque ad multarum rerum cognitionem fructuosissima et ad admirationem rerum Romanarum incendat.

A. W. Zumptius.

Non desunt qui dicant nimio in honore esse Claudium Rutilium Namatianum poetam quamvis haud inelegantem, mediocrem tamen, cuius „de reditu suo libri duo" a viris doctis identidem sint revocati atque tractati. anno enim 1494 in coenobio Bobiensi a Georgio Galbiato reperti primum a. 1520 Johanne Baptista Pio auctore Bononiae typis expressi usque ad hunc diem vicies quater in lucem prodierunt. maior quidem editionum pars priorum est saeculorum, attamen nostra demum aetate summam diligentiam ac curam in carmen illud itinerarium et interpretandum et emendandum collatam profecisse plurimum negari non potest. quamvis multum operae et studii imprimis Petrus Burmannus adiutore Nicolao Heinsio (a. 1731 Leidae, poet. lat. min II, p. 3) et Jo. Christ. Wernsdorfius (a. 1788 Altenburgi, poet. lat. min. V, p. I, pag. 77—202) Rutilio navarint, omnium primus haud dubie A. W. Zumptius veterrimis accuratissime collatis editionibus cum librariorum et interpretum sustulit menda ac vitia, tum in poetae vitam scriptaque, quoad eius fieri potuit, inquisivit acute arguteque: qui praemissis observationibus (Berol. a. 1837) carmen recensuit et illustravit (Berol. a. 1840). atque quod Zumptii commentario vehementer sane probabili ad summam perfectionis laudem deesse videtur, locorum dico eam scientiam, quae non nisi eius possit esse, qui suis oculis vidit, non ita multo ante Itasius Lemniacus (Alfred von Reumont) addidit. qui vir doctissimus et rerum antiquarum et topographiae, quae fuit olim Italiae quaeque nunc exstat, peritissimus, quo nemo ante libentius in Rutilii versibus versatus videtur esse, exhibita carminis versione (Berol. a. 1872) librum tam large historiae locorumque descriptionum refertum adiumentis tamque splendide tabulis pictis exornatum edidit, ut mirum re vera videatur, quod versus illius poetae septingenti duodecim omnino tantam eruerint molem commentationum.*)

Qui poetae animum percipere, quid petiverit quidque effecerit intellegere voluerit eiusque ingenium virtutemque pensare, cum ad historiam adeat est necesse tum maxime ad ipsius carmen, quod vitam poetae perscrutanti unus solusque est fons haud largus, quo non detecto nomen Rutilii nescio an perpetua fuisset obrutum oblivione: nunc vero

*) Expeditior ad carmen est aditus factus editione bibliothecae Teubnerianae a. 1870 a Luc. Muellero parta accuratissima codicis Vindobonensis collatione instituta.

haud infimum obtinet honoris ordinem inter eos Gallos,*) qui ad Urbis mores linguamque accommodati suis auxerunt studiis Romanorum literarum monumenta.

Sunt qui Rutilium in poetis inferioribus numerare satis habeant. etiamsi concedendum sit illum poetam non natum, sed factum quodammodo quae genius denegaverit, nimis anxia diligentia nec non subtilitate explere videri, non est quod eum a numero clariorum poetarum segregemus, adde quod ab artis metricae existimatoribus versuum singularis elegantia et numerorum pedum moderatio collaudatur, a grammaticis asperitate quadam omissa Vergiliana quaedam dictio probatur, id quod pro aetate Rutilii (cfr. Wernsdorfii praef. de itin. Rut. pag. 25) — scilicet a. 416 p. Chr. n. carmen compositum est — permagni profecto ducas.

Ac si quis poetam minus admiretur, fieri non possit quin auctori suavi et lepido praebeat aures, cuius disputationes plenae sunt delectationis et praeceptorum, ante omnia quin ad reverentiam eum inclinet vir, quamquam a Gallis**) erat oriundus, vere tamen Romanus, cuius in tanta descriptionum et sententiarum varietate ac copia adeo virtus elucet ac fides, ut alio eum saeculo natum putes. „eo potissimum, inquit Zumptius (p. XXV. praef. edit.) nomine hoc carmen habet iucunditatem summam, quod undique agnoscas vivere totum poetam in antiquitate, nihil ducere praeclarius quam opera maiorum, nihil laudabilius quam summas illas virtutes quibus Romani totius orbis terrarum imperium obtinuerunt. quid igitur mirum quod sua aetate spreta ad veterum imitationem se contulit"? tantum autem abest ut Rutilii imitationem quandam servilem et non excusatam perspicias, ut contra intellegas quam eximiam vim et auctoritatem mores Romani potuerint afferre ad virum, vel peregrinum, vere liberalem et ingenuum qui nullo pacto adduci poterat, ut tempori cederet et ad res novas se fingeret et arbitrio ac voluntati barbarorum et rerum novarum cupidorum obtemperaret principum, cum ipse Caesar sui esset impotens atque infirmus.

Quam vero tenax, ut ita dicam, veterum institutionum fuerit Rutilius cum alii tum maxime illi docent versus qui sunt de cultu deorum et de Iudaeorum Christianorumque vita et rebus divinis, in quibus perfectum e Stoica schola sapientem de summis rebus disputantem audire tibi videaris.

Maxime Romanis Stoicorum philosophiam placuisse eiusque vestigia usque ad ultima et reipublicae et Caesarum tempora inveniri quis est quin intellegat?***) atque ad eam in rerum commutationibus et vicissitudinibus erat refugium ac recessus maximeque Caesarum adversariorum, ita ut Stoicorum philosophia periculosa et perniciosa publice haberetur et reprimeretur quippe cuius arrogantia, ut Taciti utar verbis (ann. XIV, 57), veterum Romanorum imitamenta praeferret et homines turbidos et negotiorum appetentes faceret. itaque non solum (Gellius n. a. XV, 11, 3) philosophi ex Urbe exacti sunt, verum etiam Domitiano imperante senatus consulto eiecti atque Urbe et Italia interdicti, quin etiam multi „sapientiae professores" sunt occisi (Dio Cass. LXVII, 13, Tac. Agr. 2. Plin. Paneg. 47. Suet. Domit. 10. a. l.). etiamsi a Stoicorum disciplina permulti Romani omnium aetatum fuerunt, tantum abest ut acutius ea ad literarum normam sit exculta, ut restet philosophia quaedam moralis ad commune iudicium popularemque intellegentiam accommodata.

Cuius philosophiae vestigia a Zumptio primum, praef. edition. pag. XXV, perquam breviter perstricta, haud dubie exstant in Rutilio, quem si non philosophum, at certe Stoicum ingenio quodam philosophico praeditum agnoscas. fieri enim non poterat, quin Rutilius vir rerum antiquarum studiosissimus nova instituta

---

*) Alex. Budinszky, die Ausbreitung der lat. Sprache über Italien und die Provinzen des röm. Reiches. Berl. 1881, pag. 112 sq.

**) v. 19. At mea dilectis fortuna revellitur oris, Indigenamque suum Gallica rura vocant. Itas. Lemn: Der Gallier, dem ein römisches Herz in der Brust schlug.

***) cfr. H. Weise, de Horatio philosopho. Colberg 1881.

maiorum moribus repugnantia despiceret maximeque quidquid cum religione christiana erat coniunctum, odio persequeretur vehementissimo. potius ut erat virtutis et vigoris plenus, praeceptis Stoicorum utebatur et ad vitam agendam et ad res ponderandas. sed videamus singula atque primum quae ad res physicas sunt referenda.

v. 15 Ordinis imperio collegarumque fruuntur
Et partem Genii, quem venerantur, habent:
Quale per aetherios mundani verticis axes
Concilium summi credimus esse dei.

Ordo, scil. senatorius et collegae senatus, sc. magistratus participes sunt Genii, i. e. deae Victoriae, cuius ara in curia Iulia erat — illo quidem tempore signum aureum eius non illic fuisse verisimile est urbe ab Alarico direpta. Genium minus senatus intellexerim quam Victoriae potentissimae quam iam saepius antea causam rixae inter*) novae et veteris religionis fautores poeta, qui nihil praetermittit quin deorum patriorum auctoritatem laudet et confirmet, numini Christianorum oppositam haud dubie voluerit. ut illius Genii singuli senatores sunt participes, ita universae naturae partes sunt coniunctae cum summo deo, qui unus omnia singula pariter amplexus et concilians ubique cognoscitur, nam concilio, pro quo conubium retinuit cum Barthio Wernsdorfius recte quidem explicans coniunctionem arctissimam (coitum coniugiumque Lucr. III, 857**), poeta significat deum „unitatem in varietate“ exhibentem. quae vox concilii ad Stoicos nos revocat, qui in universum Heracliti de cosmologia sententiam secuti summum deum τὸν ὀρθὸν λόγον vocant, τὸν διὰ πάντων ἐρχόμενον, τὸν αὐτὸν ὄντα τῷ Διί. (Diog. Laert. VII, 88). deum ipsum legem intellegunt (ἀνάγκην sive εἱμαρμένην, τὸν νόμον τὸν κοινόν), secundum quam omnes res ea ratione sunt ortae, ut deum et res unum idemque esse putent.***) idem Rutilius dicit v. 31 sq., ubi non solum Apennino monte sed etiam Alpibus Italiam a natura provida esse caute munitam praedicat:

II, v. 31 Si factum certa mundum ratione fatemur,
Consiliumque dei machina tanta fuit . . . .
v. 37 Sicut vallavit multis vitalia membris,
Nec semel inclusit, quae pretiosa tulit.

Quod poeta consilium dei tantam machinam, i. e. opus artificiose confectum — ἔμψυχον — vocat, Lucretius V, 96 machinam mundi dicit. huc spectant Ciceronis illa verba nat. Deor. II, 22, quibus Zenonis explicat sententiam: „ipsius vero mundi naturam non artificiosam solum, sed plane artificem, consultricem et providam utilitatum opportunitatumque omnium esse. mentem mundi haec potissimum providere et in his maxime esse occupatam, primum ut mundus aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem, ut in eo eximia pulchritudo sit atque omnis ornatus.“

cfr. II, v. 39 Iam tum multiplici meruit munimine cingi
Sollicitosque habuit Roma futura deos.

Mundus igitur artificium significat, quo nihil est perfectius magisque absolutum, τέλειον σῶμα (Plut. rep. St. 46), corpus expletum omnibus suis numeris et partibus, quod dii ipsi induerunt. quo vero modo Stoici mundum exortum finxerint, paucis, quatenus hic est necessarium, repetere liceat: ad igneam vim (Cic. de nat. d. III, 14) omnia referuntur.

---

*) Ambrosius diu pugnabat et enitebatur, ut ara removeretur. postquam Gratianus eam removit, a. 384 Symmachus, praefectus Romae, Ambrosii cognatus, de ara restituenda relationem ad imperatorem misit, ad quam Ambrosius respondit. cuius contentionis et Christianorum et Romanorum nobilissimorum patronorum finem fecit Theodosius ara in perpetuum sublata e curia. iam a. 393 pagani ab Eugenio quod volebant, aliquamdiu impetraverant, cum Valentinianus antea Christianis causam adiudicavisset.

**) Ed. C. Lachmanni: III, 845: comptus coniugiumque.

***) cfr. Diog. Laert. VII, 135: ἕν τε εἶναι θεὸν καὶ νοῦν καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία. Plut. repugn. Stoic. 34: ὁ κοινὸς τῆς φύσεως λόγος = πρόνοια καὶ Ζεύς. Senec de benef. IV, 7: quid enim aliud est natura quam deus et divina ratio, toti mundo et partibus eius inserta?

materia ex igni prodiens fit aër, ex aëre aqua nascitur.*) ex aqua terra in imo colligitur, inde sursum aër ascendit, cum in summo, igni renato, aether sideraque lucentia exsistant.**) Stoicorum de solis siderumque pastu ex Oceano proficiscente opinionem Rutilius profert v. 641: Qualiter Oceanus mediis infunditur agris,

Destituenda vago cum premit arva salo;
Sive alio refluus nostro conliditur orbi,
Sive corusca suis sidera pascit aquis.

Oceani igitur exspirationibus sidera aluntur et recreantur, ut ait Lucanus IX, 313: . . rapidus Titan ponto sua lumina pascens, Aequora subduxit zonae vicina perustae; X, 258: Nec non Oceano pasci Phoebumque polumque Credimus: hunc, calidi tetigit cum brachia Cancri Sol rapit, atque undae plus, quam quod digerat aër, Tollitur. I, 415: Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas, Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera ducat, Quaerite. — Wernsdorf poet. lat. min. IV, p. 314: Oceane — te potant nubes, ut reddant frugibus imbres. v. 98 Rutilius commemorat imbriferas aquas quas Iris tollit. cfr. Tibull., eleg. I, 4,43: imbrifer Arcus. Lucan. IV, 79. Verg. Georg. I, 380. Ovid. Met. I, 271. Stat. Theb. IX, 405.

Quod poeta dicit v. 17, unde profecti sumus, per aetherios mundani verticis axes, i. e. per omnes mundi partes, intellegere videtur secundum Stoicos mundum in formam globi redactum;**) ut terrae ita aetheris, i. e. mundi, sumit axem et mundanum verticem, qua explicatione nondum sublata est huius loci difficultas. omissa cum aliorum tum Wernsdorfii fabulosa cavillatione in Zumptii adnotatione subsistendum esse censeo: pluralem numerum axes accipit duas unius axis mundani partes, quarum una ab polo mundano septemtrionali ad terram, altera a terra ad meridionalem mundi polum pertinet. verticem pro polo positum esse putat, hic pro polo septemtrionali: ergo quid sibi vult cum dicitur: per mundanos axes mundani poli septemtrionalis? quibus verbis quam sententiam subicere voluerit Zumptius, equidem non colligo. attamen quid est negotii? si verticis percipias principem significationem, „id quod vertitur, se vertit", †) (Wirbel), quadrat mundanus vertex = mundus, ergo in nostram linguam vertendum videtur esse = allüberall im Weltenwirbel, im kreisenden Weltall. Itasius Lemniacus vertit: im mächtigen Bau der umkreiseten Axen des Erdpols. — Schiller „an die Freude": den der Sterne Wirbel loben etc.

Iam vero cum ad ea quae poeta de diis senserit perspicienda transituri simus, ad Stoicorum de diis opinionem nobis est redeundum. statuunt deum et corpus (πυροειδές) et animum (νοῦν) habere omniumque patrem omnibus et animantibus et rebus prospicere, imprimis hominibus, nec non vitia punire, virtutes praemio afficere. (τὸν θεὸν φιλάνθρωπον, εὐεργετικόν, εὐποιητικόν. — Plut. rep. St. 15, 2: κολάζειν τὴν κακίαν.) Stoici autem cum doctrinam divinam cum religione publica exaequatam velint, a se quodammodo dissident, ita ut et exsistant qui Stoicorum theismum agnoscant nec non Stoicorum dei et Christianorum similitudinem probent, et reperiantur qui illorum pantheismum defendant. ††) utut est, cum omnem vim divinam in universa natura sitam esse censeant,

*) Diog. Laert. VII, 142: γίνεσθαι τὸν κόσμον, ὅταν ἐκ πυρὸς ἡ οὐσία τραπῇ δι' ἀέρος εἰς ὑγρότητα.

**) Plut. rep. St. 41: ἐκ τούτου (ὕδατος) γῆς ὑφισταμένης ἀὴρ ἀναθυμιᾶται, λεπτυνομένου δὲ τοῦ ἀέρος ὁ αἰθὴρ περιχεῖται κύκλῳ, οἱ δὲ ἀστέρες ἐκ θαλάττης μετὰ τοῦ ἡλίου ἀνάπτονται.

***) Diog. Laert. VII, 140: ἕνα τὸν κόσμον εἶναι καὶ τοῦτον πεπερασμένον, σχῆμα ἔχοντα σφαιροειδές.

†) A. Goebel, Lexilogus zu Homer etc. Berl. 1880. pag. 310. 426: rad. var „schwingen, drehen", ver-mis (Wurm, was sich windet), ver-to, ver-g-o. Ennius: vertitur coelum. cfr. anno vertente. — Diog. Laert. VII, 140: σχῆμα σφαιροειδές — πρὸς τὴν κίνησιν ἁρμοδιώτατον . . ἔξωθεν . . τὸ κενὸν ἄπειρον . . ἀσώματον. Stob. Ecl. I, p. 178: δύναμις κινητική. Diog. Laert. VII, 139. 142 etc: mundus = ζῷον ἔμψυχον καὶ λογικόν, νοερόν.

††) Zeller, Philos. der Griech. III, I, 296: Ein Pantheismus, wie der der Stoiker, konnte den schwankenlosesten Polytheismus in sich aufnehmen, wenn man sich einmal die doppelte Freiheit erlaubte, den Namen der Gottheit von dem Wesen, dem er allein ursprünglich und im strengen Sinne zukam, auf abgeleitete Wesen zu übertragen, und das Unpersönliche, was Erscheinung der göttlichen Kraft ist, als Gott zu verehren.

in Iove summo maximo statuunt numen primarium quod omnia gignat et conservet, atque ut mythorum varietatem explicent et quam polytheismus affert difficultatem expediant, ad res physicas*) interpretandas confugiunt: quapropter cum sidera tum varia initia et tamquam semina, unde omnia sint orta, generata, concreta, deos quosdam esse arbitrantur, θεοὺς γεννητούς, una cum rebus ortos, rerum administrationis participes, qui ex deflagratione coeli et terrarum in Iovem illum, omnium deorum deum, qui eos ministros regni sui genuit (Sen. Fr. 26, 16b, Lact. Inst. I, 5, 26sq), unde sunt profecti, redibunt.

Mirum vero quod Rutilius summi dei, cuius ne nomen quidem edit, non nisi uno loco facit mentionem eoque nescio an in ludibrium voluerit vertere fabulam de Iovis Agenoreo furto (v. 261), qui „deus, faciem mentitus et ora iuvenci, Per freta virgineum sollicitavit onus,“ i. e. Agenoris Phoenicum regis filiam Europam „gaudia rapturus“. nec dubium videtur quin poeta Iovem cavilletur, cum dicat v. 360 „Virgineosque sinus aureus imber emit“, Danaen significans, Horatium, carm. III, 16, imitatus. quamquam enim Stoici omnibus viribus religionem vulgarem protegere student, quam suae philosophiae utilissimam ducant, non raro fit, ut eas fabulas quae a fide nimis abhorrere videntur, vehementius insectentur et vellicent, nisi forte hoc loco vir vere Romanus elucet, cum patrias fabulas Graecorum opponat:

v. 263 Ardua non solos deceant miracula Graios.

Quod quominus credamus vox ardua impedire videtur, nam arduum est difficilius quam quod credere possimus. describit enim poeta aquas Tauri, quae hodie Bagni di Ferrata vocantur, (Plin. hist. nat. III, 5.) tria milia a Centum cellis sitas, quarum fontem taurus investigasse fertur, nisi forte deus fuit mutatus in taurum, qualis Iupiter terras perlustravit.

v. 264 Auctorem pecudem fons Heliconis habet.
Elicitas simili credamus origine lymphas,
Musarum ut latices ungula fodit equi.

Ut hippocrene Musarum, ita aquae Tauri sunt nympharum, quibus (269. 270) illic templum erat exstructum.

Sed revertamur unde digressi sumus. qui Iovem summum deum apud Rutilium desiderat, deam quandam invenit, quam v. 49 invocat:

Exaudi, genitrix hominum genitrixque deorum,

quemadmodum Homerus Iovem πατέρα ἀνδρῶν τε θεῶν τε appellat. Romam enim deam veneratus summis honoribus afficit atque id agit ut gloriam eius celebret nomenque illustret quam maxime:

v. 47 Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,
Inter sidereos Roma recepta polos.
v. 79 Te, dea, te celebrat Romanus ubique recessus,
Pacificoque gerit libera colla iugo.

v. 146 Romam vocat poeta altricem orbis terrarum, 63 patriam diversarum gentium unam. 66 orbem terrarum. II, v. 59. 60 immortalem mundi matrem, 77 legiferis mundum complexam triumphis, cuius (82. 83) imperio nullum viderunt pulchrius sidera, (cfr. 57), cuius leges victurae sunt Romana in saecula, quam solam fatales non vereri opus est colos (133. 134. cfr. 93. 194. 207). sed tantum abest ut Rutilius Romam deam et Iovem illum eosdem putet, ut laudis augendae gratia, alios poetas ut Claudianum (Stilich. III, 150. bell. Gild. 131), Florum (I, 13, 18), Ovidium (trist. I, 5, 70) imitatus modum excedat. Roma enim ut veteribus diis publice receptis, aliunde quoque arcessitis (Cybelae, Isidi, Serapidi, Osiridi v. 375. al.) sedes atque domicilia constituit, ita novos procreavit deos: Caesarem, Augustum, alios imperatores, Mentem,

*) Cic. nat. deor. II, 24, 63: alia quoque ex ratione et quidem physica magna fluxit multitudo deorum, qui induti specie humana fabulas poetis suppeditaverunt, hominum autem vitam superstitione omni refercerunt.

Virtutem, Fidem, Honorem, Spem al. atque cum omnibus diis sint templa consecrata, nos Romani, inquit poeta, (v. 50) „non procul a coelo per tua templa sumus,“ i. e. dii Romae habitantes Romam ipsam coelum faciunt.

Atque Romam, cui ut Victoriae (Minervae sive Bellonae) „crinales lauros“ (115) vindicat poeta nec non „aurea turrigero radiantia diademata coro“ (117), in deorum numerum receptam esse inde ab Augusti temporibus (cfr. Sueton. Aug. 52) una cum imperatoribus ad deos sublatis nemo nescit. quin etiam Hadriano imperatore commune et Veneri et Romae splendidissimum illud templum in Velia dedicatum est, postquam iam multo ante in provinciis templa sunt exstructa, ut Smyrnae (Tacit. ann. IV, 56), Pergami (IV, 37). Rutilius vero in eorum ordinem, qui cum in hominum genus beneficia contulerint, dii appellantur Stoicorum ratione, imprimis Romam redigit, deam maxime de universo orbe terrarum optimeque meritam, beneficiorum parentem numero carentium. Romanorum alios benefactores poeta dicit v. 67:

Auctores generis Venerem Martemque fatemur
  Aeneadum matrem Romulidumque patrem:
Mitigat armatas victrix clementia vires;
  Convenit in mores numen utrumque tuos.
Hinc tibi certandi bona parcendique voluptas:
  Quos timuit, superat; quos superavit, amat.

Venus igitur, Aeneae, i. e. Romae mater, clementiam Romanis iniecit et misericordiam, quacum coniunctus gentis Romuleae auctor Mars, quamquam bella movet et victorias parit, leniter et benigne se gerit in populos armis superatos, quos utrumque numen pacis et belli Romanorum civitate receptos socios consortesque facit otii pacisque. cfr. Verg. Aen. VI, 851.

Eodemque loco benefactores*) commemorantur generis humani, qui utilissimas invenerunt res, hi dii: Minerva v. 71 „inventrix oleae colitur“, Bacchus „vini repertor“ „et qui primus humo pressit aratra puer“, i. e. Triptolemus, Celei regis Eleusini et Metanirae filius, qui primus arabit et seret et culta praemia tollet humo, ut ait Ovidius fast. IV, 559, a Cerere sanatus et diis addictus. (Ovid. met. V, 646 sq. Hom. hymn. Cerer. 153, Lucian. somn. 15. Preller, Myth. I, p. 602, sqq). Paeon,**) v. 75: „Aras Paeoniam meruit medicina per artem“, qui ipse deus apud Homerum (Il. V, 401. 899. Od. IV, 232) deorum vulnera curat, inventor praedicatur medicinae. Hercules v. 76 Factus et Alcides nobilitate deus.

cfr. Cic. Tusc. I, 12, 28: Hercules tantus et tam praesens habetur deus, de offic. III, 5,25: Herculem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio coelestium collocavit, Tusc. I, 14, 32: abiit ad deos Hercules, ut ait Cicero, quod se natum ad homines iuvandos, tutandos, conservandos arbitratus, cum inter homines esset, eam sibi viam muniverat. — nobilitate poeta rerum gestarum gloriam et laudem non solum significatam voluisse mihi videtur, sed etiam virtutem, magnanimitatem, quippe cum Hercules Stoicis is appareat, quem sapientem intellegi velint. cfr. Senec. constant. II: Catonem certius exemplar sapientis viri nobis deos immortales dedisse quam Ulixen et Herculem prioribus saeculis. — quamquam Stoici, cum sapientem quaerebant, angustius se habebant (cfr. Senec. tranq. anim. VII, 4. ep. 42, 1) cum ne Socrates

*) Weise l. l. p. 9: Horatii de heroibus sentent. carm. IV, 8. III, 3. 9. Ep. II, 1. 5 al. — Zeller, Phil. d. Gr. III, 1, p. 295: was durch seine Brauchbarkeit für die Menschen ein besonderes Maass der wohlthätigen göttlichen Kraft offenbart, schien den Stoikern eine göttliche Ehre zu verdienen, die sich freilich eigentlich nicht auf diese Dinge als solche, sondern auf die in ihnen wirkenden Kräfte beziehen sollte; sie nahmen daher keinen Anstand, die Früchte und den Wein und andere Gaben der Götter mit Götternamen zu bezeichnen.

**) A. Goebel, Lexilogus I, p. 280 sq, repudiata etymologia nota illa: Παιήων, Παιών ex παυ radice, παύειν = qui tollit morbos, sagacissime ponit σπα radicem, παλειν = foveo, faveo, anhauchen, bähen, erwärmen, hegen, pflegen, heilen, ergo = ἰατρός. iuxta Παιών etiam Παίων legitur.

quidem, ne Diogenes quidem, viros non omnino praestantes virtutis et sapientiae gloria probarent, attamen ad Hercules, Ulixes, al. qui cum aetate aurea, i. e. aetate sapientium, floruissent, sapientiae exemplaria putarentur perfectissima, confugere non dubitabant. quare fabulas de heroibus divulgatas libenter tractabant Stoici et immutando retractabant quo acrius eius, quem petebant, viri sapientis adumbrarent speciem et formam, utique Herculem deorum sapientia imbutum generis humani magistrum perfectissimum esse factum Stoici contendebant: nam qui leonem, aprum,*) taurum vicit, docet te quomodo cupiditates animique perturbationes coerceas et perdomes, qui cervum repulit, qua via ignaviam fugias, qui Augiae stabulum abluit, quo remedio vitam rebus adversis liberes. atque in avibus cognoveris spem inanem; hydram multorum capitum belluam percipias libidinum summam. denique qui Cerberum, canem tricipitem, ex inferis protulit, is philosophiae capita tria in lucem edidisse, i. e. homines sapientia videtur condonasse. ne multa: Rutilius Herculis maximi benefactoris nomen et numen haud inconsiderate in extremo deorum ordine, quos supra diximus, Romae deae opponit, quam urbem iam inde ab initio dii adamatam protexerunt. (cfr. II, 40).

Iam vero videamus quae poeta de ceteris diis dixerit. Veneris nomen commemorat ad ubertatem et fertilitatem significandam (236); v. 156 „Temperet aequoream dux Cytherea viam.“ Veneris marinae in insula inter duo Tiberis ostia sita templum erat, quam in equo sedentem inter undas artifices fingebant. Martem ferratum nondum cognovisse dicit saecula semideum. (365) i. e. homines aetate aurea viventes, qui non nisi a feris se defendentes ferro utebantur. (v. 300 Mars = bellum.) Thetis. v. II, 16 qua fremit aerio monte repulsa Thetis = mare.

Inui, Panis, Fauni nomina, quae v. 232, 233, 234 leguntur, deum indicant benignum fautorem, qui greges fecundos reddit sive agros silvasque: etenim vix reperitur numen, quod maiore religione et ceremonia Romani sint venerati, maxime instante vere. atque Faunus — incubo 234 — numen vere Latinum, sive Lupercus, iam priscis temporibus cum Pane Arcadio (233 Pan Tyrrhenis mutavit Maenala silvis) coniunctus videtur esse. (cfr. Itas. Lemn. adnot.)

v. 373 Et tum forte hilares per compita rustica pagi
Mulcebant sacris pectora fessa iocis:
Illo quippe die tandem renovatus Osiris
Excitat in fruges germina laeta novas.

Quamquam non semel cultus Osiridis, cui et Isidi a. 43 post pugnam Mutinensem ab Octaviano et Antonio templum erat dedicatum, ut Isidis et Serapidis ab Aegyptiis ad Romanos translatus erat oppressus, attamen per totum imperium Romanum adeo erat divulgatus, ut fieri non posset, ut exstirparetur funditusque tolleretur atque quamquam iam dudum imperatores, nuperrime Honorius, sacrificia ceremoniasque fieri vetuerant, ludis tamen, vel conviviis interesse solebant imprimis agricolae, qui in veteribus moribus inhaerentes diutissime vetera sacra retinuerant, ut paganorum nomen, ut ait Zumptius, omnium fieret commune qui antiquos deos colerent.

Quos hoc loco pagos commemorat poeta, Etruscorum**) sunt, quos ad aliorum consuetudinem numquam potuisse se applicare constat, quare Etruriam collaudat v. 597 Grata bonis priscos retinet provincia mores.

Beneficia Osiridis (cfr. Tibull, I, 7, 27 sq.) satis magna erant: id enim agit, ut frumenta proveniant; ubi vero primum semina terrae commisit, moritur, ut una cum segete laeta resurgat.

---

*) Per iocum poeta aprum, quem tempestate impeditus navi egressus haud procul a Triturrita venatur, tam ingentem vocat, „quem Meleagrei vereantur adire lacerti, Qui laxet nodos Amphitryoniadae“! v. 627.

**) cfr. 293 signatus ab Hercule portus. Hercules, qui omnes terras pervagatus ubique tenebris fugatis hominum vitam excoluit, Tyrrhenis maxime erat acceptus, quorum proavus Tyrrhenus Herculis et Omphalae filius habebatur.

Sidera, quae numina quaedam divina iam Plato et Aristoteles posuerant, Stoicis erat persuasum animata esse cum ex cursus ordine tum ex ipsorum natura: v. 81 „omnia perpetuo quae servant sidera motu"; 199 „perpetui soles"; 123 „astrorum flammae renovant occasibus ortus; lunam finiri cernis ut incipiat." — Sirii (479), quem pro sole ipso interdum poni solere probat Wernsdorfius, adeo flagrantes sunt ignes ut polleant herbae, ut sitiat omnis ager, ut flumina rivique arescant. Hyades (633) udae (ὕειν) mane occidentes (matutinis occasibus) pluviam ferunt. Leporis (634) (roscida praeda 638) occasus hiemem instantem et imbres tempestatesque nuntiat, „exiguum radiis, sed magnum fluctibus astrum" (635). Oarion (637) procellosus, Canis (638) aestifer. Occidua infido saevit gurgite Plias (187), Pleiades enim „maris iram" excitant. Ursa (60) = frigus, gelu. Phoebi, qui Stoicis idem ac sol est, nomen saepius nobis occurrit. v. 57 continet omnia, eius equi in regno Romano orti conduntur, i. e. in orbe terrarum. v. 183 „Nocturnis spatium laxaverat horis Phoebus Chelarum pallidiore polo", i. e. nocte instante recedit. (cfr. 372) quid solis ardor valeat, cognoscas v. 483 „Concipiunt acrem nativa coagula Phoebum, Et gravis aestivo crusta calore coit." II, 28 fert atque refert Phoebus uterque diem, i. e. oriens et occidens. v. 430 roseo fulsit Eous equo. 511 lutea protulerat sudos Aurora iugales. v. 277 roscida puniceo fulsere crepuscula coelo. (cfr. Verg. Georg. I, 288. Aen. VI, 535, VII, 26. Sil. Ital. IX, 180. XI, 517. Auson. Eph. XII. Claud. de rapt. Proserp. II, 121).

v. 155. Pande, precor, gemino placatum Castore pontum
Temperet aequoream dux Cytherea viam.

Quae preces Rutilii sunt Horatii, carm. I, 3: „Sic te diva, potens Cypri, Sic fratres Helenae, lucida sidera Ventorumque regat pater." (cfr. Ovid. Met. XII, 940. Hor. carm. IV, 12. Ovid. heroid. XIX, 159 sq.) cultus gemini Castoris, i. e. Castoris et Pollucis (cfr. Hor. carm. III, 29 geminus Pollux), alterius enim nomen utrumque significat (cfr. Tac. hist. II, 24, Ammian. Marcell. XIX, 10, 4 Castores), e Graecia in Italiam translatus maxime in Latio florebat apud eos, qui navigaturi mari tranquillo uti studebant ideoque ex portu Romano profecti in aede Castorum Ostiensi*) sacrificabant.

Inter fabulas veteres, quae magnam habent auctoritatem apud Rutilium, praeter eas, quas iam commemoravimus, et hae sunt quarum exemplis utitur: Argi (611), Antiphatis (382), Althaeae (II, 63), Bellerophontis (450), Briarei (613), Circae (525), Harpyiarum (609), Lyncei (611), Nisi (II, 54).

Sunt etiam versus II, 40—60, quos intueri liceat atque examinare. Rutilius enim, ubi vehementissime in „dirum" Stilichonem, Honorii imperatoris omnipotentem, ut ita dicam, ministrum, invehitur, opprobrio „proditori arcani imperii" (41) cum alia tum maxime id dat quod

v. 52 . . . Sibyllinae fata cremavit opis,
v. 55 . . . aeterni fatalia pignora regni
Et plenas voluit praecipitare colos.

Atque etiam, quod nemo negat, versus illi qui intimum in Stilichonem spirant odium, cuius scelus cum Althaeae (Ovid. met. VIII, 260) et Scyllae, Nisi filiae comparatur, Rutilium vere Romanum exhibent, quippe qui istum ut hostem publicum eumque sacrorum irrisorem aversetur atque devoveat. ut enim illa Meleagrum filium quodammodo vita privavit, haec parricida est facta, ita Stilicho, Nerone crudelior sceleStiorque (59, 60) immortalem mundi matrem perculit. ac si verum est

v. 49 Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiva prius quam caperetur erat —

*) Itas. Lemniacus ad v. 179 sq., ubi uberius de Ostiae urbis situ et historia disserit, iure monet quinto etiam saeculo p. Chr. n. cultu Christianorum florente ludos Castorum quotannis mense Ianuario Ostiae esse factos. illic etiam Maiumae agebantur.

Stilichonem Romam Alarico prodidisse (cfr. Orosius, VII, 38) Gothosque Stilichonis adiutores in regno occupando sese esse professos, poetae ira eo iustior nobis videatur est necesse quo, quod maxime huc spectat, iniquiore animo ferebat, quod homo iste sacrilegus religionum se praebuerat praedonem. vix enim negari potest Stilichonem veteris religionis si non omnium infestissimum, at certe infaustum adversarium fuisse, etiamsi Claudianus, infirmus ille adulator potentissimi cuiusque, poeta quidem eximius sed paganus pervicacissimus quem vocat Orosius VII, 35, Stilichonis nomen semper in ore habet. huc adde Serenae uxoris sacrilegium notissimum. (Zosimus V, 38). qui vero auctoritatem sanctimoniamque librorum Sibyllinorum consideraverit, ad quos illis quoque temporibus non minus quam priscis „ad carmen fatidicum“ (Claud. de bell. Get. V, 23), in quo fata et remedia erant Romana (Serv. ad Verg. Aen. VII, 71), in rebus dubiis Romanorum erat refugium, poetae dolorem iramque recte interpretabitur. itaque satis copiose de Stilichonis vita ac moribus disputaverunt Zumptius (observ. XXIX, comment. p. 209 sqq), Wernsdorfius (in excursu VIII), Itasius Lemniacus (prooem. II). utut est, certum videtur esse libros illos, quorum interitus mirum in modum nusquam nisi hic facta est mentio, intra annos 402—408, si non a Stilichone ipso, at certe Stilichone auctore esse combustos, quia, ut ait Wernsdorfius, quem ceterum non satis recte iudicare fatemur, appropinquante Urbis ruina ad illos praecipue confugiebant homines superscitiosi atque illinc religionis ac calamitatis causas repetebant.

Sed quid pluribus verbis in libris Sibyllinis sumus commorati? ut novum eius rei indagemus vestigium, quam demonstrare conamur poetam haud alienum esse a Stoicorum disciplina. neminem enim fugit Stoicos arti vaticinandi (μαντική) permultum tribuisse eique examinandae sectae principes haud parvam dedisse operam (Zeller, l. l. III, 313 sq). non illam quidem vulgarem et tritam de oraculis vaticiniisque populi opinionem sectantur, sed cum persuasum habeant (Cic. Divin. I, 5. 9. 38, 82) deorum eximia providentia consuli rebus, fieri non potest quin credant deos, quandoquidem homines diligunt, praesignificare iis quae sunt futura sive salutaria sive noxia, vel extis, avibus, aliis. (cfr. Cic. Div. I, 52, 118. II, 15, 35). sed longum est varia vaticiniorum genera et artem sive vim divinandi persequi, qualem Stoici explicantes suae accommodatam philosophiae voluerint. id iam elucet fieri non potuisse quin Rutilius, qui deorum numen Italiae atque Romae tam propitium esse non semel affirmat, libros Sibyllinos, vetustissimum illud divinae providentiae ac curae documentum, populo Romano esse ereptos graviter ferret.

Iam vero cum transituri simus ad ea quae Rutilius de nova religione et Iudaeorum et Christianorum carmini inseruit, perpauca nos praemittere oportere videatur de historia religionis christianae, quae erat sub imperio Romano, utpote quam inde ab Iuliani decessu uberius Itasius Lemniacus in prooemio tractaverit. quamquam a Theodosio Magno religione christiana publice approbata et vehementer protecta gentilium doctrina omnibus rationibus oppressa et labefacta videbatur esse, nihil tamen interim eorum, qui maiorum professioni erant addicti, fides virtusque contremuit. neque iis Honorio imperatore, dum penes Stilichonem summa rerum erat, vis est adhibita. quin etiam a. 405 cum Radagaisus per mediam Etruriam profectus Urbem terrore affecisset, itemque a. 409/10 cum Alaricus Urbi appropinquasset, et nobilissimorum et ex infimo genere hominum haud parva pars veterum deorum palam implorabat auxilium. Honorius etsi iam a. 408 Stilichone occiso, adductus imprimis Eucherii Stilichonis filii machinationibus, qui sese imperio occupato veterum deorum sacra restituturum esse pronuntiaverat, vetuerat quemquam priscis sacris addictum munus palatinum administrare, demum tamen a. 416 effecit, ut legis vim haberet edictum illud, tunc quidem gravius ne omnino ullam dignitatem adipisceretur qui veteres deos coleret. itaque cum ante nihil fere discriminis manifestum fuisset inter utriusque religionis propugnatores quod attinet et ad hominum commercium et ad munerum publicorum administrationem, tunc

denique Rutilius, qui inde ab anno 414 praefectura urbana functus videtur esse, a negotiis publicis se removere et ad otium perfugere est coactus, qua de causa a. 416 aliis causis non neglectis in Galliam patriam revertit. quae cum ita sint, poeta aperit quae animum suum habent sollicitum atque oppressum. atque mirandum in modum duae captiosissimo genere quaestiones nobis occurrunt, quas usque ad hunc diem acri et attento animo intuentur homines pugnaciter inter se certantes utrum cum Iudaeis societatem inire sit e re publica necne, utrum vita monachica sit probanda an evitanda.

v. 381 Rutilius conqueritur, quod „male pensavit requiem stationis amoenae“ in villa apud Faleriam sita „hospite conductor crudior Antiphate,“ „querulus Iudaeus,“ „humanis animal dissociale cibis.“ quibus verbis acerrimis alia in universam Iudaeorum gentem congesta convicia addit,

Quae genitale caput propudiosa metit:
Radix stultitiae: cui frigida sabbata cordi,
Sed cor frigidius religione sua.
Septima quaeque dies turpi damnata veterno,
Tamquam lassati mollis imago dei.
Caetora mendacis deliramenta catastae
Nec pueros omnes credere posse reor.
Atque utinam numquam Iudaea subacta fuisset
Pompei bellis imperiisque Titi!
Latius excisae pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Quodsi poeta hic Iudaeorum flagrat odio, Christianorum quoque saturat odium, in quos ne aperte effunderet, prudentissime cavebat, ne imperatoris christiani voluntatem a se plane abalienaret. ceterum non raro auctores cum Iudaeis Christianos confudisse constat, non solum quod ex Iudaeis Christiani exstiterunt, verum etiam quod ab utraque secta imperii Romani ruina exorta videbatur esse, quamquam Iudaeorum invidiae iam illis temporibus ut hodie, singularis materies erat principatus commercii et quaestus nec non feneratio illa sane detestabilis. itaque „radix stultitiae“ Christianos quoque attingit et verbis „utinam numquam Iudaea subacta esset“ exprimi vult poeta: nisi Iudaea subacta esset, Christiani infausti non essent per regnum vulgati, non (v. 397) latius excisae pestis contagia serperent, victores suos natio victa non premeret. Horatii vero imitatorem cognoscere licet epist. II, 1, 156 „Graecia capta ferum victorem cepit.“ — Iudaeus Rutilio nullo discrimine ab animali humanis cibis dissociali videtur esse segregandus, quia Romanorum cibus quo praecipue delectabantur, caro erat suilla quam non distare humana carne Iudaei putabant (Iuvenal XIV, 98). nec iniuria poeta timuisse videtur ne pro Romanorum studio religionum exterarum gentium Iudaeorum vel Christianorum religio eo facilius acciperetur quo probabiliorem ipsi Stoico monotheismum esse necesse erat, quapropter non solum Iudaeorum mores, sed etiam cultum divinum irrisui exponit, cum frigida sabbata septimam diem turpi damnatam veterno (Ovid. art. am. I, 415. Iuvenal. XIV, 105) et „suggestum illum, unde qui Iudaeorum ac Christianorum sacris praesunt, diebus festis concionari solent, contumeliose catastam“ appellat (Zumptius).

Magis profecto quam Iudaeorum poeta Christianorum vituperat sectae cuiusdam ignaviam et segnitiam v. 439, ubi*) Caprariam insulam (cfr. Orosius VII, 36. 40) „squalere lucifugis plenam viris,“ i. e. refertam esse monachis squalidis, otiosis, insanis, ἑαυτοὺς τιμωρουμένοις, qui „soli nullo vivere teste volunt“ (v. 442) graviter conqueritur.

v. 443 Munera fortunae metuunt, dum damna verentur.
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?

*) cfr. Gibbons Geschichte des Verfalles u. des Unterganges des röm. Weltreiches, deutsche Ausgabe von Joh. Sporschil, Lpz. 1837, pag. 967.

Quaenam perversi rabies tam stulta cerebri,
Dum mala formidos, nec bona posse pati?
Sive suas repetunt fatorum ergastula poenas,
Tristia seu nigro viscera felle tument.
Sic nimiae bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus:
Nam iuveni offenso saevi post tela doloris
Dicitur humanum displicuisse genus.

Atque denuo poetae invadit mirus quidam furor, cum Gorgonem insulam in eaque monasterium (v. 515) commemorat, in quod amicus quidam nobilis Rutilii „iuvenis maioribus amplis, Nec censu inferior coniugiove minor" „patrum sacra detestatus confugit; impulsus enim furiis homines divosque reliquit."

v. 522 Et turpem latebram credulus exul adit.
Infelix putat illuvie caelestia pasci,
Seque premit laesis saevior ipse deis.
Non, rogo, deterior Circeis secta venenis?
Tunc mutabantur corpora, nunc animi.

Christianismum igitur cum Circae arte comparat, nam ut haec venenis incantationibusque hominum corpora mutare solebat, sic illam sectam animos magice decipere occaecareque vulgo existimabatur. —

Sed haec hactenus. restat ut sententias ethicas Rutilii cognoscamus, in quibus Stoicorum ethices vestigia reperire non est difficile. itaque in versibus repetendis comparandisque acquiescamus:

v. 9 Semina virtutum demissa et tradita coelo.

Virtutem ex ipso Deo profectam homo discendo exercendoque sibi acquirit. bene enim recteque agendo, perseverando, tolerando veram felicitatem atque sapientiam sibi parat. in aequa igitur mente summum bonum positum est. atque Rutilius, quamvis rebus adversis vehementer oppressus, non queritur dummodo memoria rerum bene ante gestarum relinquatur:

v. 163 Fortunatus agam votoque beatior omni.
v. 552 Virtus fortunam fecit utramque parem.
Mens invicta viri pro magnis parva tuetur,
Pro parvis animo magna fuere suo.
v. 497 Nec tantum duris nituit sapientia rebus:
Pectore non alio prosperiora tulit, (scil. Victorinus amicus.)

Vir sapiens suam salutem posteriorem ducit salute communi, maxime in rebus dubiis, neque dolore maligno impeditur quin in tempore enitatur, potius animus eius augetur et corroboratur:

v. 23 Securos levius crimen contemnere cives:
Privatam repetunt publica damna fidem.
Praesentes lacrimas tectis debemus avitis:
Prodest admonitus saepe dolore favor.
Nec fas ulterius longas nescire ruinas,
Quas mora suspensae multiplicavit opis.

Ne cedamus malis neve ad calamitates summittamus animos; cum varia sit fortuna et mobilis, vera virtus non interibit:

v. 119 Abscondat tristem deleta iniuria casum:
Contemptus solidet vulnera clausa dolor.
Adversis solemne tuis sperare secunda.
Exemplo caeli ditia damna subis.
Astrorum flammae renovant occasibus ortus;

Lunam finiri cernis ut incipiat.

(cfr. Horat. carm. IV, 4. Claudian. de sec. consul. Stilich. V, 141.)

v. 129 Quae mergi nequeunt, nisu maiore resurgunt,
Exiliuntque imis altius acta vadis.
Utque novas vires fax inclinata resumit,
Clarior ex humili sorte superna petis.

Nunquam in rebus adversis est desperandum, nam

v. 491 O, quam saepe malis generatur origo bonorum!

cfr. v. 487 Rimetur solitus naturae expendere causas,
Inque pari dispar fomite quaerat opus.

Omnia esse mortalia et caduca vir sapiens non ignorat neque mortem pertimescit:

v. 413 Non indignemur mortalia corpora solvi.
Cernimus exemplis oppida posse mori.

Virtutem praemia subsequuntur, vitium scelusque castigatur (vid. pag. 4).

v. 91 Quod regnas minus est quam quod regnare mereris:
Excedis factis grandia fata tuis . . .

Quae verba docent grandia fata, i. e. regnum orbis terrarum, a diis concessa esse Romae, Romam vero factis suis, i. e. virtute, id effecisse ut non solum digna esset fortuna secunda, sed etiam suis meritis longe superaret fortunam.

v. 304 Tristibus excepit congrua fata reis. cfr. v. 125. cfr. pag. 5. —

v. 357, ubi rhetorice quodammodo de auro ferroque disserit, vitia quaedam carpit Rutilius maculisque aspergit, Horatium imitatus qui aurum summi materiem mali vocat carm. III, 24, 29,

Materies vitiis aurum letale parandis:
Auri caecus amor ducit in omne nefas.
Aurea legitimas expugnant munera taedas,
Virgineosque sinus aureus imber emit:
Auro victa fides munitas decipit urbes:
Auri flagitiis ambitus ipse furit.

v. 306 de incesti adulterii loquitur poena.

Nimiam in edendo aviditatem condemnat et in potando, temperantiam moderationemque commendat:

II, 5 Saepe cibis adfert serus fastidia finis:
Gratior est modicis haustibus unda siti.

Rerum quidem vicissitudines magis ad severitatem quam ad hilaritatem poetae animum deduxisse est consentaneum, nihilo minus vitae oblectamentis modice deditus esse etiamtum videtur, quantum ex exiguis carminis reliquiis licet conicere, cum ab Urbe procul aberat.

v. 287 Cosae urbis ruinam commemorans dicit:

Ridiculam cladis pudet inter seria causam
Promere: sed risum dissimulare piget.

Liberalem sese praebet morum censorem castigatoremque, ubi de Lepidorum facinoribus disputat v. 307 . . . sed melius de nostris fama queretur:

Index posteritas semina dira notet.
Nominibus certos credam decurrere mores?
Moribus an potius nomina certa dari?

Sed sit iam huius disputationis modus. ad extremum Rutilii laudes ipsius verbis celebremus, quae in virum vere Romanum, Stoicum omnis officii diligentissimum, poetam sua aetate superiorem perbene quadrant

v. 505 Plus palmae est illos inter voluisse placere,
Inter quos minor est displicuisse pudor.